



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 859. Usque Ad Annum 887

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117875

§. 32. Photius a Patriarchis rejicitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66112)

gesimo secundo data, in qua declarat, *Sæculum IX.*
 nec se Ignatium pro deposito, nec ex con- *A. C. 869.*
 sequenti Photium pro Patriarcha habe-
 re posse. Cum legeretur ille locus Epi-
 stolæ, ubi Papa rationem de Ordinatione
 S. Ambrosii & Nectarii explicat, Theophilus
 dixit: *Hæc omnia Romæ a Romanis*
jaçtari audivi. Attamen receperunt
Domnum Photium. Theodorus Cariæ
 dixit: *Quomodo affirmas, quod Papa*
recepit, quem Mæchum appellat? Cui
 Theophilus: *Tu vero, quomodo eum*
recepisti? Theodorus: Usque ad hesternum
diem tecum sapiebam. At cognoscens jam,
a Nicolao Papa nunquam reje-
ctum fuisse Ignatium, nec receptum Pho-
tium, ad Ignatium conversus sum. Theo-
 philus: *Inde discas, qualis fuerit Nico-*
 laus. Theodorus: *Quomodo demonstra-*
re potes, quod Nicolaus Papa te receperit?
 Theophilus: *Dixi; det mihi hodie Im-*
perator fidem publicam, testes, quos pro-
ducam, tuto prodire posse, & demon-
strabo.

§. XXXII.

Photius a Patriarchis rejeçtus.

Senatores deinde ex Legatis Orientis
 quæsierunt; an unquam recepissent
 Photium, aut ad eum literas communio-
 nis indices dedissent. Thomas Metro-
 polita Tyriensis respondit: *Nunquam*
Hist. Eccles. Tom. XII. A a eum

Sæculum IX. *eum in Ecclesia Antiochena recepimus,*
A. C. 869. *nec dedimus communionis testes literas,*
nec ab eo accepimus.

Elias Syncellus Jerosolymitanus dixit: *Si Photius ejusque sectatores Imperatorem fide dignum habent, hic eos per Legatos suos Isayam & Spiridionem, Cypprios, certiores faciet, quod me prope intuitum ex amplexu Patriarchæ nostræ Theodosii extorserit; affirmo autem coram Deo & Angelis, quod Photium Episcopum non receperimus, nec ab eo accepimus Epistolas, nec ad eum dederimus.* Metrophanes Smyrnensis dixit: *Ex his, quæ hodie acta sunt, videmus, Photium nec Romæ, nec ab aliis Patriarchis unquam fuisse receptum.* Deinde ad ceteros Episcopos conversus: *Quid vobis videtur, inquit, Fratres mei! Theodorus Carie dixit: Ago gratias Deo, quod Sancti hujus Concilii auxilio liberatus sim gratis & continua sollicitudine, an nempe Photius a Patriarchis receptus fuisset. Ideo confiteor delictum meum, quod ipsum per errorem secutus sim.*

Senatores ad Legatos Papæ dixerunt: *Mos est in Romana Ecclesia ab omni homine hospite confessionem Fidei exigendi, antequam in S. Petri Basilicam admittantur; an isti, simul manu Theophilum & Zachariam indicabant, hunc morem observarunt, vel non? Legati Romani:*

mani: *Ita est, observarunt.* Zacharias & Theophilus: *An unum vel duos Libellos scripsimus?* Legati Romani: *Duos scripsistis.* Omnino etiam confessionem Fidei, antequam Romam intrarent, tradiderant, & præterea libellum, quo se Decretis Sacræ Sedis obedientes profitebantur, antequam ad communionem admitterentur. Tum Senatores ex Legatis Romanis quæsierunt, quid ille Libellus contineret. Responderunt: *Quod vellent Fidem Ecclesiæ Catholicæ tenere & defendere, atque in omnibus Ecclesiæ Romanæ iudicium sequi.* Bahanes Patritius dixit: *Hesternæ ad huc die id ipsum edixerunt in Secretario; quod per omnia Romanorum Ecclesiæ consentiant.* Quærite ergo, dixerunt Legati, *an scribere velint Libellum Romanum.* Senatores ad Theophilum & Zachariam: *An scribitis hunc Libellum, vel non?* responderunt: *Nolumus de hoc Libello mentionem fieri.* Legati Romani: *Ergo foras eos emittite.* Illis etiam ejectionis, solito clamore Sessio finita.

§. XXXIII.

Sessio V. Photius in Concilio.

Sessio quinta decima nona Octobris celebrata. Paulus Chartophilax Concilio indicavit, missum sibi ab Imperatore fuisse Photium. Legati Romani di-

A a 2

xerunt: